



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Caput 35. de Caio Cæsare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

qui apud Moguntiam monumentum habet. Petrus Apostolorum auctor primus postquam Antiochenam Ecclesiam in Episcopatum fundasset, Romam mittitur. Vbi Euangelium prædicans XXV. annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat. Marcus Euangelista interpret Petri Ægypto & Alexandria Christum annunciat. Primus Antiochiæ Episcopus ordinatus Euodius. Agrippa rex Iudæorum regnavit an: XXVI. post quem filius suus Agrippa à Claudio substituitur in regno. Fames ingens quæ prædicta fuerat sub Claudio toto orbe fuit. Claudius de Britannis triumphavit, & Orcadas insulas Romanorum subiecit imperio. Descriptio Romæ V. anno Imperij Claudij facta. Inuenta sunt ciuium Romanorum LXX. centena & LXX. millia. Græciæ eiusque regna in prouinciam rediguntur. Hierosolymis orta seditio, vt in portarum exitu corrueret: triginta millia Iudæorum perierunt. Claudius felicem Procuratorem in Iudæam mittit: apud quem Paulus Apostolus accusatur. Sub Felice Procuratore Paulo dicitur à tribuno, Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies congregasti & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? Claudius XI V. anno imperij sui in palatio, ætatis suæ LXIV. moritur.

Caput 36.
De Nerone.

Romanorum VI. regnavit NERO annos XII. menses VII & dies XXVIII. Huius auunculus fuit CAIUS Caligula. Felice regnante in Iudæa seditio in Cæsarea Palæstinorum orta est. Magna Iudæorum perijt multitudo. Festus successit Felici, apud quem præsentente Agrippa rege Paulus Apostolus religionis suæ rationem exponens, victus Romam mittitur anno tertio Imperij Neronis. Terræ motus Romæ & solis facta est defectio.